

XXVII. Ad quartum casum dicitur, quod si reddatur hominis rectitudo naturalis, licet non habeat pœnitentiam formalem et supernaturalem, habet tamen naturalem detestationem peccati, explicitam aut implicitam et virtualementem, qualem ille status naturalis secum compatitur; nam eo modo quo illa naturalis rectitudo rectificaverit voluntatem, eo modo immutabit illam, immutatione convenienti pro illo statu puræ natura, non sufficienti pro gratia, unde nec illud peccatum remittetur in ordine ad statum supernaturalem, quem destruxit, sed in ordine ad naturalem rectitudinem, quam vulneravit; sicque illa non erit adæquata remissio, et simpliciter ablatio peccati, sed inadæquata, et secundum quid, scilicet pro statu mere naturali; et in illo habebit voluntas immutationem aliquam illi statui convenientem, scilicet ordinis naturalis.

XXVIII. Ad quintum casum dicitur, jam supra explicatum esse, excipiendum esse illum casum, quia excipimus illum, asserentes quod in universum manente eadem numero persona formaliter; nequit peccatum remitti absque immutatione voluntatis; in illo autem casu, licet sit eadem persona entitative, non tamen est eadem continuative, quia annihilatur et reproducitur, et illa desitione omnino perit, tam ipsa persona, quam peccatum, et non manet eadem quantum ad mansionem continuationis. Quod autem postea reproducitur non juvat, quia peccatum non potest reviviscere, quia non datur causa reproductiva illius; non Deus, quia non est auctor peccati; non voluntas hominis, quia nihil agit de novo, ut supponimus.

XXIX. Ad ultimum casum respondetur, quod quando justificatur homo in sacramento cum sola attri-

tione, etiamsi non habeat ultimam dispositionem ad gratiam ex parte voluntatis, habet tamen illam quæ sufficit, ut si Deus gratiam infundat, voluntarie accipiat, quia non ponit obicem, seu resistantiam gratiæ; et sic est sufficiens dispositio ut dicatur dari gratiam volenti et consentienti; et hæc mutatio sufficit pro dispositione voluntaria, sine qua formaliter haberi non concedimus, nec posse Deum remittere peccatum, et justificare hominem sine illa, infundendo gratiam: cæterum si cum illa dispositione imperfecta attritionis Deus gratiam infundit, ipsa infusio gratiæ est mutatio sufficiens voluntatis solum radicaliter et eminenter, ut dictum est, et sic fit ex attrito contritus: non quia attritio mutetur in contritionem, sed quia effectum contritionis habet adjunctum (scilicet gratiam) atque adeo non sine mutatione interiori fit illa remissio, nec sine pœnitentia, saltem radicali et virtuali.

UNUM PECCATUM SINE ALIO NON REMITTITUR.

XXX. Ex dictis colliges brevem resolutionem alterius dubii, an scilicet possit unum peccatum mortale sine alio remitti et tolli. De quo agit S. Thomas in hac quæstione LXXXVI. articulo III. Et de facto et secundum potentiam ordinariam, certum est non posse, quia nullum peccatum mortale tolli potest sine gratia et dilectione Dei super omnia, saltem habituali; sed cum gratia non potest stare simul aliquod peccatum mortale, quia necessario et essentialiter habet annexam privationem gratiæ; ergo non potest unum peccatum mortale tolli per infusionem gratiæ, (sicut de facto fit) alio peccato mortali remanente.

XXXI. De potentia vero absoluta

dicimus, quod in nostra sententia, qua resolvimus, non posse sine pœnitentia formali vel eminentiali peccatum remitti, neque etiam posse tolli unum peccatum sine alio, quia existente formali pœnitentia, illa habet annexam gratiam, cum qua simul peccatum stare non potest; posita autem eminentiali pœnitentia, illa est ipsa gratia, vel gratia consummata, ut beatitudo, vel eminentior gratia, ut unio hypostatica, et reliquæ similes mutationes, quæ multo magis repugnant cum peccato, quam gratia ipsa; in altera autem sententia affirmante quod potest peccatum de absoluta Dei potentia remitti sine mutatione aliqua intrinseca hominis, et sine pœnitentia aliqua, tam eminentiali quam formali, sed per solam extrinsecam denominationem et condonationem, poterit unum peccatum tolli sine altero, quia non repugnat Deum condonare unam offensam, et additionem maculæ, non sublata alia offensa distincta: neque in hoc ulla apparet implicatio, quia condonatio extrinseca unius non est opposita cum omni peccato, sicut gratia, seu forma intrinseca omni peccato repugnat.

ARTICULUS II.

*Per quam formam tollatur peccatum veniale, tam ex opere operantis, quam ex opere operato?*

I. Supponit titulus articuli dupliciter peccatum veniale tolli. Primo, sine aliqua susceptione sacramenti, vel alicujus sacramentalis, sicut est aspersio aquæ benedictæ, et alia similia; sed per excitationem alicujus motus spiritualis in Deum, qui dicitur fervor charitatis: secundo, ex opere operato, sicut suscipiendo

eucharistiam, vel aliquod sacramentum delentur peccata venialia ex ipsa virtute sacramentorum, quæ virtus dicitur ex opere operato, id est, ex virtute sanguinis Christi, delere peccata; et similiter ex susceptione aliquorum sacramentalium, id est, aliquarum sacrarum cæremoniæ, quas Ecclesia pro remissione venialium ordinavit. Et sic oritur duplex difficultas: prima, ex parte formæ tollentis formaliter maculam peccati venialis: secunda, circa dispositionem requisitam ad tollenda ista peccata, præsertim quando tolluntur per sacramenta vel sacramentalia ex opere operato, quæ scilicet dispositio sufficiat ad illa tollenda.

II. Ex S. Thoma in articulo primo et secundo hujus quæstionis LXXXVII, habemus tria. Primum est, requiri pœnitentiam aliquam (saltem imperfectam et virtualementem) ad tollenda venialia, non formalem sicut ad tollenda mortalia: secundum est, non requiri ad tollenda venialia aliquam infusionem gratiæ habitualis, vel aliquid habituale de novo infusum, sed sufficere motum aliquem gratiæ vel charitatis: tertium est in articulo secundo ad tertium. Quod macula peccati venialis non inducitur per privationem gratiæ, sed per inclinationem effectus inordinatam ad aliquid temporale; et ad hanc maculam peccati venialis tollendam requiri aliquem actum procedentem ex gratia, per quem removeatur inordinata adhæsiō ad rem temporalem.

QUID SIT FORMA DELENS MACULAM VENIALIS?

III. Circa has conclusiones, et dicta S. Thomæ, licet aliquæ occurrant difficultates, quas statim

proponemus, tamen antequam de illis agamus, oportet prius examinare, et assignare determinate, quænam sit forma tollens formaliter maculam peccati venialis. Nam licet proponat S. Thomas, et resolvat, quod peccatum veniale non tollitur per habitum gratiæ sanctificantis, sed per motum gratiæ: non enim aliquid est habituale infusum de novo animæ, nec requiritur infusio gratiæ aut augmentum illius, quod optime probatur ab ipso, qui peccatum veniale non opponitur ipsi gratiæ, neque augmento illius, neque alteri habituali dono, quia in gratia et augmento gratiæ existens, secum compatitur peccatum veniale cum habitibus virtutum et donorum: nam adhuc in perfectis viris sunt peccata venialia, nec tamen in eis gratia diminuitur, vel tolluntur virtutes

IV. Tamen circa positivam formam tollentem maculam peccati venialis est difficultas, an sit ipsemet actus charitatis vel pœnitentiæ, sive implicitus; an aliquid ex tali actu relictum. Quod S. Thomas non explicat, et tamen sine hoc non possumus plene discernere, et determinare quidnam sit forma tollens peccatum veniale. Et ratio est, nam si ipsemet actus est forma tollens peccatum veniale: ergo jam pœnitentia non requiritur ad remissionem peccati venialis tamquam dispositio, sed tamquam forma; hoc autem est falsum: ergo. Sequela est manifesta, nam non potest idem esse simul forma et dispositio ad seipsam, tamquam ad formam, quia dispositio antecedit causatque ipsam formam. Minor vero probatur, nam actus ille pœnitentiæ formalis, sive virtualis, est actus voluntatis: ergo solum potest formaliter tollere id quod in voluntate est; at vero macula peccati pertinet ad essentiam animæ, et in

ea est, sicut macula peccati mortalis: ergo oportet aliquid ponere in essentia animæ distinctum ab eo quod in voluntate ponitur, quod solum pertinet ad dispositionem.

V. Confirmatur, quia peccatum veniale habitualiter manet in homine, et transeunte actu remanet reatus: ergo non potest formaliter tolli per actum ipsum pœnitentiæ, si quidem actus formaliter solum opponitur actui, non autem remanenti post ipsum actum habitualiter. Ex alia vero parte urgetur ratio, quia si actus ipse non est forma, quæ formaliter tollit omne peccatum veniale, oportet pro forma ipsi necessario assignare aliquid habituale, cum tamen S. Thomas quæst. LXXXVII, art. II ad primum doceat, quod: « Remissio venialium est effectus gratiæ per actum, quem de novo elicit, non per aliquid habituale de novo animæ infusum: » ergo nihil habituale intervenit tamquam forma in remissione venialium. Nec dici potest, quod intervenit aliquid habituale, non infusum de novo, sed acquisitum, nam peccata venialia opponuntur fervori charitatis, seu actui charitatis, ut docet S. Thomas, sed id quod est contra fervorem charitatis non tollitur per aliquid acquisitum, seu ordinis naturalis, sed per aliquid supernaturale cum fervor ipse charitatis aliquid supernaturale sit, præsertim cum remissio peccati venialis sit donum gratiæ, quia illam petimus a Deo: neque explicari potest, quid sit illud acquisitum quod relinquitur ex actu charitatis, vel pœnitentiæ; si enim est habitus, vel aliqua habitualis dispositio, illa debet esse supernaturalis: ergo a Deo infusa, quia habitus supernaturalis non potest esse acquisitus: ergo falso dicit S. Thomas, non tolli pecca-

tum veniale per aliquid habituale de novo infusum animæ.

VI. In hac difficultate vix aliquid auctores dicunt, sed communiter asseritur, peccatum veniale tolli per actum charitatis seu pœnitentiæ, implicitum vel explicitum, nihil distinguendo, an talis actus sit forma, vel dispositio: et si est dispositio, quid sit assignandum pro forma. Et videtur mihi distinguendum esse de actu, nam potest sumi actus ipse vel præcise prout est ipse actus secundus, qui cito transit, et dependet a sua potentia in fieri et conservari: vel potest sumi actus simul cum effectu ex tali actu relicto, scilicet cum aliqua determinatione relicta a se in habitu charitatis et gratiæ tollente adhæSIONEM illam et determinationem, quam relinquit peccatum veniale ad rem temporalem. Et quidem actus ille præcise et nude consideratus, non potest formaliter tollere peccatum veniale, quantum ad maculam, quæ relinquitur post transactum actum, quia actus ille formaliter non opponitur illi maculæ, sed solum formaliter opponitur vel actui contrario, vel negationi, seu privationi talis actus: actui quidem contrario opponitur contrarie: privationi autem aut negationi opponitur privative, illa vero macula quæ transeunte actu peccati venialis remanet in homine, neque est sola cessatio aut privatio actus boni (sic enim cessante actu, vel dormiente homine desineret peccatum veniale) neque etiam est actus contrarius, quia illa macula non est actus, sed remanet post actum, ad quem sequitur: non ergo formaliter nudus et merus actus bonus illi opponitur.

VII. Si vero secundo modo consideretur actus, sic formaliter tollitur peccatum veniale et macula illius, quatenus tollitur adhæSIO illa

voluntatis ad rem temporalem, sine subordinatione ad ultimum finem: et consequenter tollitur obligatio, seu obliquitas illa, qua voluntas inclinatur ad operandum aliquod peccatum veniale: macula enim peccati venialis, ut docet S. Thomas hic articulo secundo ad tertium inducitur per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale. Unde non debet considerari actus in se solum, et quatenus durat in actu secundo, sed secundum id quod relinquit transacto actu, scilicet, secundum, voluntatem conversam et determinatam ad operandum non inordinate, nec cum adhæSIO ad rem temporalem: per id enim formaliter tollitur illa macula, et adhæSIO prava relicta ex peccato veniali.

VIII. Sed inquires, quid est hoc quod relinquitur ex actu illo præterito. Nam habitus esse non potest; tum, quia unus solus actus non generat habitum; tum, quia peccatum, veniale non tollitur per aliquid habituale de novo infusum; tum, quia ille habitus deberet esse supernaturalis et gratuitus, atque adeo non potest acquiri per actum; tum denique, quia non semper peccatum veniale generat habitum, si uno tantum vel altero actu fiat, et tum non generat habitum, et casu quo illum generet (ut quando aliquis consuetudinem mentiendi habet) tunc peccatum veniale potest tolli quantum ad culpam et maculam, manente habitu illo vitioso inclinante ad mendacium: non ergo est habitus, id per quod peccatum veniale tollitur: præter habitum autem non apparet quid relinquat actus ille præteritus, nisi denominationem aliquam rationis, quatenus hoc subjectum denominatur conversum, vel aversum ab actu præterito.

IX. Respondetur, ex illo actu non solum posse relinqui habitum ope-

rativum similis actus, quem constat non nisi ex pluribus actibus generari, sed etiam relinqui alios effectus, vel privativos vel positivos quasi habitualiter ita post actum ipsum, et eo transacto permanentes, a quibus subjectum denominari potest: nam de privativis effectibus constat in probato, quod post ipsum manet privatio gratiæ. De effectibus positivis constat, quod ex actu quo finem intendimus sive bonum sive malum, manet virtualis determinatio et intentio, quia homo manet tunc determinatus ad talem finem, et ex tali determinatione et conversione operatur in subsequentibus actibus: quæ determinatio quid sit, et in quo consistat, late explicatum est prima secundæ de ultimo fine. Sicuti ergo ex conversione ad finem remanet homo habitualiter conversus positive, non privative, ita in actu peccati venialis. Et ex adhæsione ad Deum causatur determinatio quædam in voluntate, quæ contrariam adhæsionem tollit, quatenus illa voluntas manet sine impedimento et adhæsione ad actum oppositum per actum destruentem peccatum veniale; qui actus ex charitate et gratia fit, ut in exemplo quod affert S. Thomas manifeste apparet, nam privatio decoris potest dupliciter fieri, uno modo per privationem intrinsicam ipsius pulchritudinis, verbi gratia, quia perditur debitus color, aut proportio membrorum: alio modo per superinductionem alicujus impediens, verbi gratia, alicujus luti aut pulveris: et ad restaurandum privationem intrinsicam coloris, requiritur quod generetur novus color: ad tollendum vero impedimentum pulveris vel luti, non requiritur novus color, sed tantum requiritur extersio luti, et quod maneat color diverso modo determinatus aut dispositus, sive

expeditus ut videri possit, et elucere: ergo si diversæ affectiones diversam determinationem in voluntate relinquunt, etiam postquam actus ille transivit, oportet quod illa determinatio formaliter tollatur per oppositam determinationem ex actu opposito relictam.

X. Concedimus ergo, determinationem istam non esse habitum inclinantem ad actus, ex quibus est genitus, id est, non esse habitum operativum, si quidem iste si est naturalis seu acquisitus, ex pluribus actibus generatur: si est supernaturalis, est etiam infusus: per unum autem actum convertitur voluntas ad bonum finem, manetque conversa transacto actu, ut patet in actu dilectionis Dei: sicut e contra per unum actum peccati manet aversa voluntas a Deo, et conversa ad creaturam, etiam post eum transactum. Est ergo ista determinatio aliquid præter habitum operativum, et inclinantem ac similes actus: et sic potest esse vel quædam ordinatio, seu respectus in voluntate ad illum finem, ad quem per actum fuit conversa: sicut ex actu generationis resultat et relinquitur relatio patris ad filium, ita in voluntate relinquitur respectus et ordo ad finem, quoties proponitur in apprehensione: vel est modus aliquis, seu modificatio, qua voluntas remanet sic ordinata erga talem finem vel objectum, aut actum faciendum, et ita hoc in idem refert cum primo, quia ille ordo, seu respectus voluntatis ad finem illum non potest esse purus et prædicamentalis respectus, cum non semper terminus ejus sit existens in re, neque assignetur aliquod fundamentum super quod proxime fundetur, si nihil relinquit talis actus, saltem tamquam modum aliquem, et passivam quamdam determinationem: ergo id quod relinquitur

ex actu et conversione illa, et modus ille seu relatio supernaturalis est, quando relinquitur ex aliquo actu supernaturali, sicuti ex actu charitatis vel pœnitentiæ, vel alio simili, quo peccatum veniale tollitur: ex quibus patet ad rationes dubitandi pro hac parte.

XI. His suppositis, circa primum dictum S. Thomæ est difficultas, quid intelligat nomine virtualis pœnitentiæ, quando dicit eam requiri ad deletionem venialis, cum tamen ad remittenda peccata mortalia requirat formalem pœnitentiam; nam si nomine virtualis pœnitentiæ intelligitur pœnitentia, quæ non sit distincta de singulis peccatis, etiam illa non requiritur ad tollenda peccata mortalia: potest enim aliquis per actum charitatis sine recordatione alicujus peccati justificari, ut supra admisimus: si autem nomine pœnitentiæ virtualis intelligatur actus charitatis, sequeretur ad remissionem venialis requiri elicentiam charitatis, cum tamen per minutiores actus peccata venialia remittantur, ut per orationem dominicam, tunctionem pectoris, aquam benedictam, etc. Et confirmatur, quia talis pœnitentia virtualis plerumque non opponitur peccato veniali commisso; quid enim oppositionis habet devotio ad res divinas, verbi gratia, tunsio pectoris, vel oratio dominica cum mendacio otioso, cum imperfectio motu adulterii vel infidelitatis? Ergo per talem virtualem pœnitentiam non tollitur peccatum veniale. Confirmatur secundo, quia peccatum veniale transacto actu solum relinquit reatum ad pœnam: neque enim explicari potest quid aliud relinquat, sive positivum, sive per modum maculæ et privativum; sive conversiones et maculæ multiplicari debeant multiplicatis peccatis venialibus, sive non de-

beant: ad tollendum autem reatum pœnæ non requiritur pœnitentia, et intrinseca mutatio voluntatis, sed sufficit extrinseca Dei condonatio: ergo non est necessaria pœnitentia.

XII. Respondetur S. Thomam nomine virtualis pœnitentiæ intelligere affectum aliquem in Deum, vel res divinas tali modo, quod quidquid occurreret ei, quod eum a tali motivo retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse. Sic docet in hac quæstione articulo primo. Itaque non requiritur affectus dolens directe et actu de peccato veniali, sed sufficit affectus non retardans in Deum, vel res divinas: hic enim virtualiter includit displicentiam oppositæ retardationis: si enim de facto fertur in Deum, implicite excludit adhæsionem ad rem temporalem, quæ retardabat motum hominis in Deum: et sic est virtualis displicentia talis peccati retardantis illum motum. Sicut in peccato mortali, quia totaliter homo avertitur a fine, requiritur quod totaliter convertatur in finem: et quia in illa aversione voluntas iniqua et injusta fuit contra Deum, requiritur dolor per modum justitiæ et expiationis, ita quod de singulis doleat, nisi sint oblita. Oportet autem istum affectum saltem virtuales habere, quia ille affectus retardativus in peccato veniali, voluntarius fuit, et oportet ad illum tollendum intervenire affectum contrarium, etiam voluntarie, ut voluntarie peccatum illud, et ejus macula expellatur: ideoque aliqua pœnitentia necessaria est, et non sufficit quilibet bonus affectus, ut aliqui dixerunt, vel cessatio ab illo peccato, quia requiritur ad ejus expulsionem aliquid contrarietatis et oppositionis, quæ non invenitur in quolibet actu bono, præsertim si